

candus fuisset, quo posito, alia deinceps prorsus comparuisset accentuum consecutio.

§. 4. Alio modo rem aggreditur Guffetius comm. f. 323. *cum ille (inquit) Patris actus, qui uxorem respicit. ut impregnatum, & filium ut genitum sit unus idemque gignendi actus: Ideo tempus, quo vir aliquis הוליד filium, refertur ad patris actum in matrem, & ad conceptum filii ut causatum a patre, non autem ad nativitatem filii: actus ille differt tempore ab hac nativitate, precedens eam novem mensibus, & interdum fere 10. Unde & sepius accidit, ut post istum actum nativitas filii cadat in alterum annum numerandum in vita patris: Hoc juvat ad conciliandum Gen. 5.32. & 11. 10. de annis Noe & Semi generantium. Verum enim vero: Habet Scr. aliam satis frequentem locutionem, qua imprægnandi actum solet exprimere, וירע את אשר, quam dubio omni procul, ut alias, ita & hic adhibuisset. Et hunc verbi הוליד significatum, ne unico quidem eoque manifesto ac evidenti loco probavit Guffetius, quod faciendum fuisset omnino. Is enim, quem producit 1. Chron. 2. 18. non habet eandem phrasin cum nostro; neque adeo valide hic locus pro ea significatione pugnat. Quemadmodum enim ילד ipsum pariendi actum nativitatemque designat, oppositumque subinde (v. g. Ies. 7. 14. Gen. 4. 1.) habet ירה: sic quoque in Hiphil הוליד eandem obtinet significationem gignendi, non quatenus imprægnationis actum, sed quatenus ipsum partum excludendi tempus innuit, id quod phrasin non tantum הוליד בנים ובנות passim obvia declarat, cuius cæteroquin haud commodus sensus foret: & imprægnavit filios & filias. Dicendum itaque*

C

que